



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvtii Ordinis F. Minorum de  
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;  
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis  
neceßarium**

**Cambi, Bartolomeo**

**Coloniae, 1606**

Praxis meditationis in lectionem diei Martis. Cap. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

impulit, vt venis ante vacuis impletis, etiam cutem penetrare coegerit, in tanta abundantia vt terram madefecerit.

O bone IESV. O afflicte & moeste IESV. O IESV amor meus, quid est hoc quod cerno, in facie tua cum lachrymis & sudore sanguine commisceri, idque mei causa? O IESV spes mea: quid est hoc quod conspicio: vt cor meum consolationibus impleres, tuum amaritudinibus & tristitia confici voluisti? O bone IESV omnem tuam angustiam & dolorem, in malignum & ingratum cor meum transfunde: atque purum & innoxium cor tuum ab omni molestia expedi & libera.

*Praxis Lektionis diei Martii.*

*Meditatio  
diei Martii.*

HVIUS diei lectio est, de illusione Christi ab Herode, quae ab Euangelista Luca his verbis describitur: Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo.

Hic Anima pia considera, quomodo Herodes, cum IESVM nec loquentem, nec vel verbulum vnum

ad interrogata respondentem cer-  
neret, ei tanquam stulto & vesano  
homini colaphum infregerit, col-  
lum pugno percusserit, naso vel  
barba per ludibrium eum arripue-  
rit: aut simili aliquo dedecore eum  
affecerit, verbis probrosis adiectis.  
Cuius exemplum secuti vniuersi  
aulici risu & sannis eum exceperint,  
maximè cum eum alba & sordida  
veste, quæ stultorum erat insigne,  
vestiuissent, arundinemque manui  
eius inseruissent.

CONSIDERA deinde quomo-  
do IESVS de palatio cum veste hac  
egrediens, & per mediam aulam  
transiens, ac per scalas descendens,  
ab omnibus derisus, ludibrio habi-  
tus, multisque contumelijs & con-  
tuitijs oneratus, ac varijs modis de-  
honestatus fuerit: alij calcibus late-  
ra eius feriebant, alij vnam in par-  
tem, alij aduersam in partem eum  
impellebant: alij ore distorto eum  
irridebant, alij naso, alij capillis, alij  
barba eum trahebant.

Hic etiam tibi imaginari potes  
L 6 sibilos,

sibilos, voces, clamores, quibus post tergum eius vociferabantur, ac probra in eum iaciebant: Postea quã verò de palatio foras egressus, rabidi illi canes, Judæi videlicet, eum tam insigni contumelia affectum conspexerunt; quis explicare sufficiat, quos risus sustulerint? quibus ludibrijs eum exceperint? quæ conuicia in eum iactauerint? quibus denique sibilis & clamoribus sidera compleuerint? Itaque de-  
nuo illum ad domum Pilati comitatus sunt, voces blasphemiarum & contumeliarum plenas in eum euo-  
mentes.

CONSIDERA adhuc, quàm multis per viam hanc verberibus & percussionibus, quàm varijs confusionibus & contumelijs, quàm impuris dictis & conuicijs IESVS oneratus fuerit: hic illi alapam impingebat, ille pugno cædebat, alius lapidibus, alius puluere, alius luto eum impetebat.

O IESVS IESVS spes & refugium meum, quàm indignis modis tra-  
ctaris?

ctaris? Quantis ludibrijs & probris,  
tu qui es summa Patris sapientia,  
vexaris? O IESV illuse, O IESV ho-  
stibus prodite, quid est hoc quod  
agis vnica spes animæ meæ?

*Praxis Læctionis diei Mercurij.*

ECQVAE læctionem huius diei,  
quæ flagellationem Christi conti-  
net, mens humana vel Angelica me-  
ditari sufficit? Subsiste hîc aliquan-  
tis per anima mea, ac mentem à sen-  
sibilibus rebus ad teipsam auoca: &  
côsidera quomodo Pilatus IESVM  
iusserit apprehendi & duci in præ-  
torium.

*Meditatio  
diei Mercurij.*

Quomodo mandauerit, vt à car-  
nificibus, immanitate ac truculen-  
tia teter rimis, qui omnem penè hu-  
manitatem exuerant, acerrimè fla-  
gris cæderetur, vt ita rabiem tetra-  
rum ac immanium illarum bellua-  
rum, Iudaici videlicet populi, sa-  
tiaret.

Quomodo carnifices mandatis  
a Pilato acceptis, IESVM mansue-  
tum agnum, cum immani furia tan-

L 7 *quæ*